Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2425
Quelle:
Copyright:

ctu societatis priuetur. Quod per exemplum ypocritarum multi subuertuntur. Quod ypocrita cum scientia multa polleat ipsam ad uoluntatis sue prauitatem inflectat. Quod deus qui preceptum dat adiumentum quoque sui spiritus inpendit. De misterio diuinitatis et humanitatis christi. Quod deus ypocrite auxilium non inpendat. Quod iustus bonorum societate faciatur. De his qui mortui mundo sunt. Initium C. I. est: *Quia ergo uidimus qualiter christus in casu fulcimentum inuenerit uideamus qualiter postmodum in sompno calefactus fuit* &c. E stilo et ipsa scripturas interpretandi ratione argueret quis *Gregorium M.* loqui, sed neque in ejus operibus, neque in pluribus aliis, quos volvi, *Excerpta* ist haec deprehendi; *Excerpta* enim esse, cum initium C. mox adducti, tum initia Capitum *seq.* ostendunt. Ita *secundum* incipit: *Qui enim in uita religiosa mentem huius mundi gerit.* &c. et tertium: *Quia uero ypocrite aliquando scientie multitudine prominent* &c. Et tamen ad calcem Librarius noster subjecit: *Explicit liber domini Hugonis de claustralibus. Hugonem* hunc non *Victorinum* esse, sed dictum *de Folieto* itidem *Regular. Canonicum* Literatores sentiunt, ut jam ad *Cod.* CCXLI. innui. Quod si *Excerpta* nunc recensita ad illum pertineant, inedita esse oportet.

II. *fol.* 38. p. 2. sequuntur: *Sermo de quatuor debitoribus*, et *Sermo de Obedientia.* Leguntur in *Hugonis à S. Victore* opp. T. III. *Miscellaneor. L. I.* ubi *Titulum* XX. et CLXXV. constituunt. Prioris initium: *Quatuor sunt debitores. deus. spiritus. caro. mundus* &c. Alterius: *Quedam sunt ita mala* &c.

III. *fol.* 39. p. 2. *Sequitur de interrogandis in hora mortis.* Ad Monachos spectat haec Formula et sic incipit: *Sic debet frater proximus morti interrogari. et sic debet Respondere. Interroga. frater letaris quod in fide christiana moreris. Respondeat. Ita* &c. Terminatur pia adhortatione. Totum depromtum ex *Anselmo Cant. Paris. 1721. p. 194. f.*

IV. *fol.* 40. Sententiae variae metro inclusae, quarum meliores speciminis ergo:

Angelus ad quatuor.

Angelus est sathane pacisque. ministeriique.
Consiliique. prior colaphizat. et erudit alter.
Tercius a dextris refouet. quartusque coronat.

Anagoge quatuor. Euangelistarum.

Est homo dum uiuit. bos dum moritur. leo uero
Quando resurgit. auis quando superna petit.